





*UP



DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

HEPATITIDE.

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS

DE

HEPATITIDE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI Consensu;

Et NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

JACOBUS ALEXANDER MAXWELL,

CHIRURG:

SCOTUS;

Ad diem 24. Junii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT C. STEWART ET SOCII,

ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

M DCCC I.

To Mr. George Bell
with best wishes,
and most grateful thanks
for favors received,
of the Author

VIRIS OPTIMIS

GULIELMO LAIDLAW,

ARMIGERO, DE ALLANTON;

NECNON

REV. JACOBO MUIRHEAD, D. D.

SUIS CURATORIBUS;

HANC DISSERTATIONEM MED. INAUG.

SACRAM VULT

JACOBUS ALEXANDER MAXWELL:

Sub quorum tutela, consilia vere paterna ac summa beneficia accepi; quique meum commodum et studia ab ineunte aetate promovenda semper curabant; his studiorum primitias qualescunque, grati pignus animi dedico consecroque. Accipiatis igitur, mihi amicissimi, hocce publicum observantiae testimonium erga vos, quae nunquam ex mea mente elabetur.—Valete.

ITEM

ITEM,

BENJAMINI BELL,

CHIRURGO

PERITISSIMO ET EMINENTISSIMO,

SUB CUJUS AUSPICIIS

RUDIMENTA MEDICINAE IMBUIT,

HOC OPUSCULUM

D. D. CQUE

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HEPATITIDE.

AUCTORE JACOBO ALEX. MAXWELL.

HOC genus morborum ſic variatur et definitur à claro Culleno:

"I. Acuta. Pyrexia; hypochondrii dextri tenſio et dolor, ſaepe pungens pleuritici inſtar, ſaepius obtuſus; dolor ad claviculam et ſummum humeri dextri; decubitus in ſiniſtrum latus difficilis; dyſpnoea; tuſſis ſicca; vomitus; ſingultus."

"II. Chronica. Haec ſaepe nulla quibus dignoſcatur ſigna praebet; aliquando tamen eandem adeſſe ſuſpicari poteſt, ex hepatitidis cauſis quibuſdam praegreſſis, ex ſenſu quodam plenitudinis et gravitatis in hypochondrio dextro, ex doloribus plus minuſve pungentibus in eadem parte ſubinde perceptis, ex dolore quodam à preſſo hypochondrio dextro, vel à decubitu in latus ſiniſtrum ſenſito, et denique ex pryrexia leviori cum dictis ſignis ſubinde infeſtante."

HISTORIA.

Indicia, quae Hepatitis acuta plerùmque exhibet, haec ſunt: calor auctus; arteriarum ictus frequens; dolor tenſioque hypochondrii dextri; graviſque, morbo progrediente, febris; pulſus durus, validus, et frequens; dolor magis auctus, ſaepe pungens pleuritici inſtar, ſaepius autem obtuſus, preſſuque multùm auctus, tendens ad claviculam ſummumque humeri dextri, parteque jecinoris maximè dolente conveniens, plus minuſve

nusve antrorsum retrorsumve spectans; respiratio gravis et difficilis; singultus etiamque frequens; aeger ventriculum dolere conqueri saepe solet, quod nauseam cum vomitu plerùmque bilioso inducit; gravis interdum vigilia, deliriumque adadsunt; aeger in latus affectum faciliùs cubat; urina rubra, felle saepe tincta, solito parciùs excernitur; tussis frequens, interdum humida, saepius autem sicca urget; vultus aegri languidus et luridus fit; os et lingua arescunt, haec crustâ plerumque albicat; sitis gravis, ciborumque fastidium subeunt; corpus quoque aridum et calidum tactu percipitur; et Lommius sic ait, "Ipse homo toto corpore calet, praecipuè palmis "et plantis pedum: quae partes etiam, si ad "calorem siccitas accessit, inarescunt; si humor, "madent. Ferè autem contraria his contingunt, "si jecur frigidiore, quod raró fit, intemperie "labefactatur." Alvus saepissimè astringitur, tametsi in morbo acuto secretio fellis interdum multùm augetur. Quidam medici regium morbum inter signa Hepatitidis enumeraverint; experientia

perientia tamen ſatis compertum habet, eam abſque hoc ſigno ſaepe apparuiſſe.

Certior factus ſum per familiarem medicum mei, qui in Honorario Indico Commercio diu verſatus eſt, dextram etiamque ſummum penem, in hoc morbo laborantium, quos ipſe curâſſet, dolore levi ac frigore eſſe capta. Penis ſummi affectionem non obſervavi notatum ab ullo recenti aut vetere, qui de hoc malo ſcripſerit; ſed inter veteres, Lommius, ſignis jecinoris inflammati accuratiſſimè enumeratis, dicit, "Interdum "manus quoque dextra torquetur." Idem familiaris mecum communicavit eos, quos curâſſet, poſſe praedicare paroxyſmum ſe aggreſſurum per affectionem penis ſummi ingraveſcentem.

Signa ſupra dicta hunc morbum licèt fermè comitari ſolent, revera tamen pro varia jecinoris parte, quam inflammatio occupaverit, haud parùm variantur. Si convexam hepatis partem, ut peritonaeum, quod parietes abdominis munit, affecerit, dolor preſſu auctus, aliquid tumoris in

regione

regione hepatica haud vix percipiuntur: Si partem fepto tranfverfo proximam, occupaverit, dolor pleuritici inftar, affectioque claviculae fummique humeri, magis aucta fiunt, interque fpirandum intenduntur; thoraxque doloribus in varias ejus partes vibratis laborat; fingultus et tuffis magis ficca, faepius adfunt; refpiratio etiam, ob defcenfum fepti tranfverfi impeditum difficilior et molestior fit. Si inflammatio in parte concava fedem habeat, dolor nequidem tam multùm refpiratione afficitur, et vomitus biliofus faepius urget, quod forfitan phlegmafia fefe ventriculo impertiverit, inde ad veficam fellis ductufque biliarios facillimè iter faciat, et haec, ut Cullenus docet, unica fpecies eft idiopathicae hepatitidis, quae regium morbum comitem habet.

Indicia chronicae hepatitidis tam multò obfcuriora exiftunt, quod faepiffimè morbo abfceffus, fcirrhufve jecinoris ante finem dat, quam ulla indicia dira fe oftendere coëperunt, ob eamque caufam medicum ejus figna fedulò animadvertere oportet.

Si Hepatitis chronica adfit, hepaticus, ponderis,

ris, plenitudinis, ſenſum, hypochondrii dextri, interdum ſcrobiculi cordis, et regionis epigaſtricae dolorem levem conqueritur, preſſurâ, aut in latus ſiniſtrum cubitu magis auctum; febris levis et fugax, ſaepe autem paroxyſmis ſub luce rediens intermittentis inſtar invadit; diminutio virium animalium ſubit; aegerque faciem tumidam, languidam et luridam, jecur morbidum denotantem, in dieſque magis moeſtitiâ foedam inducit; oculi hebeſcunt, tunica albuginea modò flava, ſaepius autem exalbida fit; cutis dura et ſicca percipitur; urina parciùs redditur, plus minuſve rubicunda; perſpiratio ſpecialis et parca eſt; crura et pedes interdum tumere obſervantur; atque, "The gums;" Dominus Gidleſtone inquit, "contract a hardneſs, and the ſhoulders appear daily more elevated;" et Lommius etiam ait, ſignis ſcirrhi hepatis enume-"ratis pectus atque humeri extenuantur."

Prima via per morbi hujus curſum varia eſt; dejectiones modò copioſae, modò parcae; aeger ſaepe paulo ante prandium ventriculum langueſcere, et haud rarò inſolitum cibi deſiderium ſub-

inde

inde ſentit, ciboque aſſumpto, brevi levatus videtur, citò autem cardialgia, tormina aut alia dyſpepſiae ſigna eum invadunt; jecur quoque inveſtigatione miram in molem interdum creviſſe invenitur.

Dominus Saunders in ſua celeberrima diſſertatione, de Hepate, duo mala non magis a ſe diſcrepâſſe ſignis, quam variis hepatis ſtatibus a quibus originem ducunt, literis mandavit: "In chro-
" nic inflammation," inquit, "a condition obtains
" in ſome degree the reverſe of the former. In-
" ſtead of appearances which accompany and cha-
" racterize acute and active inflammation, there
" are manifeſt ſigns of indolence and want of ac-
" tion in the circulating ſyſtem. The colour natur-
" al to this organ in the healthy ſtate, and which
" appears to be imparted to it from the bile, is
" loſt; it aſſumes an aſh or clay-coloured hue,
" evidently connected with a diminiſhed ſecre-
" tion. This kind of liver is evidently ſmaller;
" it undergoes a change in ſhape; the lower
" edge which is naturally thin, eſpecially the left
" lobe, becomes round and gibbous. If we cut
" into

"into its fubftance, we find uniformly a folid "compact appearance, interfperfed with fora- "mina, evidently the orifices of divided veffels; "but if we compare the cut furface of a difeafed "liver with that of a healthy one, we obferve a "very fenfible difference, the latter being much "more porous than the former."

TERMINATIONES

Eaedem huic morbo, ac aliis inflammationibus, Refolutio nimirum, Suppuratio, Scirrhus et Gangraena, funt.

RESOLUTIO

Quoties hepatitide finem ponit, aliqua evacuatio aucta plerumque antecedit; puta diarrhoea; per-fpiratio ubera; fluxus urinae faepe auctus, copi-ofum fedimentum deponentis; eryfipelas non-

nunquam

nunquam externa; ſaepe ſanguinis è naribus aut vaſis haemorrhoidalibus profluvium; expectorationeque libera, Culleno auctore, hoc malum reſolutione ſaepe finit; exſudatio, ut quidam putant à ſuperficie jecinoris inflammati, cui adheſiones partium vicinarum medici aſſignant, etiamque id ſaepe abſtulit.

SUPPURATIO.

Tempus mali hujus, ex vi inflammationis, ratione medendi adhibitâ, tempeſtate anni, qualitate coeli, denique aetate aegri et temperamento, multùm pendet.

Senſus ponderis et gravitatis hypochondrii dextri; horrores frequentes; vultus rubore ſuffuſus; ad ſudorem proclivitas; pulſatio ſaepe percipienda, puriſque fluctuatio; febris ſub luce ingraveſcens, certò eam indicant. Lommius inquit: "Haud rarò morbus, ubi non ſolvetur, ſuppu-"rat, oriturque abſceſſus prorſus exitialis. Is ubi "jam flere incipit, febres increſcunt et dolores

"nihilque feré de loco affecto defluit: decubi-
"tus in omnem partem corporis molestus est;
"ipse aeger, saepe sine ordine, sine certa causa
"inhorrescit, moxque majoribus caloribus urge-
"tur; factoque pure, dolores quidem ardoresque minuuntur: at homo longè fit imbecillior,
"id quod pulsu frequenti parvo ac languido,
"crebrâque animi defectione cognoscitur. Haec
"defectio, ubi rupto abscessu pus effluit, increbescit, et penè in syncopen transit, ex quo casu
"vix unquam quisquam fuit."

Quando abcessus formetur, pus variè foras eliminetur, prout diversis partibus inflammatio adhaeserit. Si pars inflammata peritonaeo abdomen succingente sit adjuncta, tumore ac fluctuatione indicibus, per parietes pus cultro eliciatur. Si septo transverso adnexa sit, formatum in thoracis cavum irrumpatur, et ita suffocatio infertur. Si abcessus concavam hepatis partem occupaverit, complexis ductibus biliariis eorumque tunicis corrosis, materia purulenta facilè in intestina ingredi potest; aut si colo imum jecur serpenti insiderit, deinde pus ano evacuatum sit, aut in abdominis

abdominis cavum erumpat, et fi non brevi infelix fit, morborum non minus infelicium fundamenta jacet.

SCIRRHUS.

In fcirrhum jecinoris obfirmatum hepatitis vetufta faepiùs quàm acuta definit. Vultus aegri multùm mutatur; modo flavidus, modo pallidus, et moeftitiâ foedus; faepiùs autem propriè luridus morbidum jecur fignificans apparet.

Quidam molem jecinoris multùm minui fcirrho tradunt; certò autem faepiùs augetur; Prof. Gregorius memorat fe hepar octodecim librarum vidiffe.

GANGRAENA.

Hepar licèt in gangraenam rariùs quàm ulla corporis vifcera abire folet, quaedam autem exempla mifera extitiffe accepimus, et Saunderius fic

ſic ait: "I have ſeen ſome caſes where the
" pain and inflammation have ſubſided very ſud-
" denly, and have been ſucceeded by a low flut-
" tering pulſe, cold extremities, and death; ſo
" that there has been reaſon to ſuſpect, that
" this may, on ſome occaſions, though much
" leſs frequently than others, become gan-
" graenous."

CAUSAE REMOTAE.

Inter pleroſque medicos ſatis conſtat hunc morbum adoleſcentulos aut impuberes rariùs invadere, tametſi cauſis admodum excitantibus obnoxios.

Qui aetate florente, temperatura ſanguinea ſunt; qui ex frigida ad regionem calidam ſe conferunt; qui ſibi indulgent carnibus, ſpiritibusve valdè fermentatis in hepatitidem acutam procliviores exiſtere; ac quibus vires morbo aliisve modis multùm fractae aut minutae ſunt; aut quibus animi rebus adverſis multùm depreſſi;

aut

aut melancholici, chronicae magis opportunos esse quoque asseritur.

Inter causas remotas praecipuè sunt, regiones calidae, vel calor perennis; febres putridae, intermittentes aut remittentes; hydrargyrus nimius; ardentium spirituum intemperantia; radii solis; nimia corporis exercitatio, eique calido frigus intrinsecus potu gelido admotum, aut extrinsecus aëre frigido et humido, aut sub dio pernoctando; et cùm morbus à frigore originem ducit, cel. Cullenus observavit, pneumoniam comitem saepe habere; regioni hepatis aut capiti vis aliqua externa illata; vultus ille languidus, luridus, et melancholicus, qui huic morbo semper adsit, et aucta secretio fellis iracundiâ orta, magnum consensum inter jecur et caput valdè demonstrant, quo fit, ut animi affectus, maximè graviores, hepatitidis causae remotae sunt. Chronica phlegmasia jecinoris morbum acutum interdum induxîsse fertur, et, vice versâ, acuta induxîsse chronicum. Feminae, licèt magis plethoricae quàm homines, inflammationibus minus obnoxiae sunt.

RATIO SIGNORUM.

Hypochondrii dextri tenſio et dolor, morbo ſedenti lobo magno hepatis hypochondrium dextrum et partem regionis epigaſtricae occupanti, tribuuntur.

Pungens pleuritici inſtar, parti hepatis convexae ſepto tranſverſo proximae inflammatae, et inde pleura leniter affecta, tribuitur.

Dolor ad claviculam et ſummum humeri dextri, eâdem ratione exponitur, tenui inflammationi nimirum, ſepti tranſverſi, cum mediaſtino communicatae et ad claviculam et ſummum humeri dextri ſerpenti aſcribitur. Quidam, nexui nervorum quem phrenicus cum illis ſummi humeri habet, fortaſſe rectiùs aſſignant.

Hic nervus de ramo ex tertio et quarto cervicalibus compoſitus eſt, et thoracem inter venam et arteriam ſubclavianam ingreditur, et per ſtriam pericardii, ad ſeptum tranſverſum deſcendit. Recens Monro, in ſua eximia diſſertatione de nervis, utitur;

his verbis utitur; "The other branches of the "third cervical nerve are diſtributed to the muſ-"cles and integuments of the lower part of the "neck and top of the ſhoulder; no wonder then "that an inflammation of the liver or ſpleen or an "abceſs of the lungs, adhering to the diaphragm "ſhould be attended with a ſharp pain on the "top of the ſhoulder." Hâc ratione dolorem exponitu facillimum eſt; nam ſi ab inflammatione ad partes communicata oriatur, quare in pueumonia et aliis inflammationibus thoracis non adſit?

Decubitus in ſiniſtrum latus difficilis; jecur, quod dextram et ſuperiorem partem abdominis tenet, incumbendo in latus ſiniſtrum à ſede naturali nonnihil amovebitur, ideóque ligamentorum tenſione, cùm inflammatio adſit, gravis dolor infertur.

Dyſpnoea, deſcenſui ſepti tranſverſi impedito, aut jecinore in mole aucto, aut preſſurâ ſub contractione in jecur inflammatum; aut actioni ſepti tranſverſi ipſius inflammati, tribuitur.

Tuſſis et Singultus, ſepto tranſverſo in irregu-

lares

lares contractiones inflammatione aut irritatione immiſſo tribuitur; et cl. Monro, in diſſertatione jam dicta, etiam inquit, "If the irritation of this "muſcle is very violent, it may occaſion that "convulſive contraction of the diaphragm "which is called hiccough."

Vomitus, ab inflammatione ad ventriculum communicata, aut à miro conſenſu, qui inter ventriculum et omnes partes corporis exiſtit; aut ſecretione fellis auctâ, quae ſaepe morbo acuto adſit, oriatur.

DIAGNOSIS.

Morbi, quibus hepatitis vulgò confunditur, ſunt, dyſpepſia, pneumonia, inflammatio ventriculi, et rheumatiſmus partium vicinarum.

A dyſpepſia, gravi dolore hypochondrii dextri levi preſſurâ percipiendo, ad claviculam et ſummum humeri ejuſdem lateris ſpectante, vultu lurido, febre, oculis languidis et hebetibus, denique auxilio, quod datur aegro ſanguinem mittendo,

tendo, qui ſimul emiſſus tunicam coriaceam albam inducit, facilè dignoſcitur.

A pneumonia Hepatitis ſecernitur, dolore, in illa, quidem, multô graviore, ad claviculam et ſummum humeri dextri nunquam tendente, ſedemque altiorem in thorace ſemper figente, et decubitu in latus affectum multò aucto; in hepatitide autem, aeger in latus affectum multo faciliùs cubat; reſpiratio non tam moleſta; pneumonia denique in regionibus calidis rara eſt, hepatitis, contrà, in his ſaepiſſimè obſervatur.

Hepatitis à rheumatiſmo facilè dignoſcitur, nam in hoc febris levior eſt, dolorque fugax cum juncturarum aliis alternans.

In gaſtritide, dolor et calor magnus, quolibet in ventriculum aſſumpto inſignis eſt, et vomitus repentinus ſubinde urget, et magna debilitas; quae omnia in hepatitide diverſa ſunt.

PROGNOSIS.

Haec ex vi et diuturnitate morbi, ex aetate et temperamento aegri deducenda eſt. Si morbus in ſtadio inflammationis ſit, et aeger bonâ temperaturâ praeditus, eventus felix expectandus eſt; ſi magnâ macie confectus, et vires extenuatae morbo, aliisve modis, malum eſt; abſceſſu formato, omnis ſpes ſalutis ferè deſperanda eſt, niſi tumor aut fluctuatio percipi poſſunt, quae indicant quo modo pus foras cultro eliciatur; ſi chronica facta eſt, et hepaticus in regione calida diu commoratus, haud bonum ſit, namque primae viae ferè tam debilitatae ac turbatae, ut propria remedia ferre nequeant.

MODUS MEDENDI.

In morbo acuto, proclivitati jecinoris ad ſuppurationem et ejus diros terminos, efficaciſſima remedia

remedia obviam ire adhibenda ſunt. Hic regimen, antiphlogiſticum vulgò vocatum, accuratè utendum eſt; namque, ex eo, ſanatio multùm pendet; ſanguis detrahitur prout vires aegri, dolor, aut febris poſtulet; veſicatoria parti dolenti apponi debent, et haec iterata, aut ad partes vicinas adhibita, útiliora inveniuntur; fomentationes calidae, ad partem dolentem, quoque utiles ſunt; et ſi inflammatio ſuperficiem hepatis concavam occupaverit, utque huic colon ſit adjunctum, lotiones calidae emollientes anum injectae, multùm proderunt; laxativa magno commodo adminiſtrentur, et ex his ſales neutri, ut qui corpus refrigerant, optimè inſerviunt; refrigerantia commodè praecipiantur, haud enim dubium videtur, quin ad curandum conferant, actionem totius corporis minuendo, et ex his, acida vegetabilia nativa, citras et nitras potaſſae, optimè inſerviunt; diaphoretica et diluentia ſaepe eodem concilio adhibentur.

Quoties morbus reſolutione finitur, aliqua evacuatio aucta et diminutio ſignorum eam certè indicant; ſin hoc non paucis diebus contingit, omnia

omnia remedia, ſupra dicta, ſeponi debent, ut corpus debilitent, et ſic malorum dirorum origo fiunt; et hydrargyrus, (quod multis placet) confeſtim adhibendus eſt, qui ſuppurationi efficaciſſimè occurere poteſt. In regionibus calidis, ubi malum multo frequentiùs, et ejus curſus velocior, quam in frigidis, eſt, preſens hydrargyri uſus, modo ſignis graviſſimis levatis, ac laxativo adhibito, multùm commendatus eſt. (Quod ad hoc remedium efficaciſſimum adminiſtrandum pertinet, varium eſt inter medicos.) Modus autem adhibendi muriatem hydrargyri dulcem internè, et unguentum hydrargyri ad partem affectam, aut femina, aut ad partes fricandas, quâ citiſſimè in maſſam ſanguinis circumeuntem delatum ſit, cauſa ſalivae leniter movendae, mihi videtur, antiponendus eſt. Si hoc fieri poteſt, priuſquam quid puris formetur, remedium potentiſſimum et tutum evadet.

A multis remedium ſpeciale in hac affectione ſananda hydrargyrus quidem habitus eſt; res autem nequaquam ſe habet, namque in caſibus quibuſdam, Domino Dick, Calcuttae, teſtante,

ſine

ſine fructu fuit uſurpatus; idem auctor, qui omnes varias formas et ſtadia hujus morbi vidit, his verbis utitur; "In chronic caſes where there "is no fever, but only an obtuſe pain in the ſide "and ſhoulder, with a fulneſs in the ſide, and "about the pit of the ſtomach, keeping up a "conſtant uneaſineſs, mercury ſeems to me to "have but little good effects; when uſed freely, "it removes the ſymptoms at the time, but they "generally return as ſoon as the mercury is left "off. Having been repeatedly baffled in this "way, and obſerving very often that ſuch "liver attacks ſucceeded long courſes of mer-"cury, undergone for the cure of venereal "complaints, I have, for ſeveral years paſt, truſt-"ed to a ſeton or iſſue made in the ſide, and "with ſucceſs far beyond my expectations."

Quoties à febre putrida intermittente aut remittente morbus oriatur, diatheſis putrida potiùs quam phlogiſtica comitari videtur. Hic tonicis et anteiſepticis, praecipuè cortici cinchonae, vino rubro, dietae nutrienti, et exercitationi leni, plerumque cedet.

Ut

Ut affectio chronica ex debilitate magis quam aucta vasorum jecinoris actione pendet; huic remedia supra dicta unà cum hydrargyro maximè accommodata sunt.

Dominus Scott, medicus ingeniosus, Bombaiae, acidum nitricum ad scirrhum aut affectionem chronicam jecinoris sanandam, maximè laudavit; et nos certiores facit, id contra mala ejusmodi saepe valuisse, qua hydrargyrus planè non potuit.

Si dolor lateris gravis sit, oportebit ut fomentationes calidae, et lotiones anum injectae, adhibeantur, quae votis plerumque respondebunt.

Tussis et singultus, modo saepe adsunt, irritationem septi-transversi et oesophagi gravem demonstrant; opiumque internè sumptum aegro subsidio sit.

Si vomitus urget, opium vel ano vel ore adhibitum, ad hunc praeveniendum saepe sufficit; haustusque effervescentes idem commodum etiam pollicientur.

Astringentia, modo diarrhoea adsit, non dari debent

debent, nisi magnâ debilitate periclitatur, et si opus est, opium anteferendum videtur.

Si alvus tardior sit, lenibus catharticorum dosibus ciere oportet, et tartris potassae duplici consilio etiam imperetur; namque Dominus Hope, in suis praelectionibus clinicis, ait, "non modo pollent sicut laxativa, sed etiam obstructiones viscerum perpurgant."

Quando dyspepsia huic morbo superadditur plerumque ex debilitate oritur, ac tonica et stimulantia multùm profuerint, è quibus, haec Dominus Hope, in praelectionibus supra dictis, dicit, "cum primum adhibita instans auxilium ferunt, saepe autem iterata ventriculum debilitent, ob eamque causam non diu continuari debent."

Tonica quam stimulantia utiliora sunt, et ex his optima, cortex cinchona, aquae minerales, chalybetes, exercitatio modica, et amara; haec autem, Hope auctore, diu continuata ventriculum debilem reddant.

FINIS.

EX TYPOGRAPHEO ACADEMICO.





